



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Calvinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

Stapleton, Thomas

Antverpiæ, 1595

Præfatio ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39447



PRÆFATIO

ad Lectorem.

QUUM haftenus,
Christiane Lector, in
sacrofanctis Euange-
lijis & Actis Aposto-
licis ab indignissimis
hodie hæreticorū corruptelis (Cal-
uini maximè ac Bezæ) vindicandis
sudauerimus, nunc ad diuinum &
vnum Paulum accedimus : à quo
vno explicando vt professionem
hanc nostram iam ferè ante quin-
quennium auspicati sumus, ita ille
vnus, & hæc maximè vna ad Ro-
manos epistola, vt ordine ita dig-
nitate prima, hæc nobis cogitatio-
nes

P R A E F A T I O

nes animo impressit, vt contra venenatos hodie hæreticorum sensus, quibus literas Apostolicas, Paulinas maximè, & hanc potissimū ad Romanos epistolam, scèdè contaminarunt, Antidota meditarer. Vnum Paulum, & hanc inprimis ad Romanos epistolam, pro plerisque eisdemque primarijs dogmatibus seu placitis nouis, prophanis, hæreticis fortiter decertare, ad illa stabilienda firmissimis argumentis abundare; imò ex vno Paulo, & hac vna ferè epistola, capitales hodie controuersias de iustificatione, de gratia Christi, de L & Euangelio, de libero arbitrio, libertate Christiana, de operum iustitia, de certitudine salutis & gratiæ, de prædestinatione ac reprobatione, de imputatiua iustitia, de peccato originali, ex ipsorum senten-

AD LECTOREM.

sentētia cōfirmari ac terminari posse, & totum denique Paulū pro ipsis stare, omnes hodie ad vnum Protestantes gloriosè iactant. Lutherus hodiernæ apostasiæ pater, sic ex huius epistolæ ad Romanos lectione nouum suum Euangelium, *Imputatiuam ex sola fide iustitiam*, sese accepisse gloriatur, vt de illis solis Pauli verbis, *Iustus ex fide viuuit*, ita scribat: Rom. 1.

Hic me prorsus renatum esse sensi, ^{prima} ^{part.} ^{operū Lu-} ^{therici.}
apertis portis in paradysum intrasse.

Iste locus Pauli mihi verè fuit porta paradysi. Huius dementiæ quum alij acclamassent, solius saluantis fidei dulcedine capti; tum ille tum alij in vnum Paulum, & hanc vnā præsertim ad Romanos epistolā, commentarios, scholia, obseruationes, methodos, analyses, certatim scripserunt. Hanc vnā epistolā Scripturæ

† 3 *clauem,*

PRAEFATIO

*clauem, totius Theologiae fundamē-
tum, Euangelij summā ac medul-
lam deprædicant. Si quis hanc intel-
ligit (ait Calvinus) aditum sibi quen-
dam patefactum habet ad totius Scri-
pturæ intelligentiam: imò (vt postea
addit) ad reconditissimos quosque
Scripturæ thesauros adeundos habet
apertas fores. Et certè satis prædicari
vel ipse diuinus Apostolus, vel hæc
vna ad Romanos epistola, non po-
test. Hic est ille quippe vas electionis,
cui singulariter electum, vocatus ne-
que ab homine, neque per hominē, sed
à Christo de cælo, cui cæteri Apostoli
nihil contulerunt, qui in Iudaismo pro-
fecit super omnes coætaneos suos, eru-
ditus ad pedes Gamalielis, qui raptus
ad tertium cælum audiuit arcana Dei,
quæ non licet homini loqui, qui plus
omnibus laborauit, cuius sapientiæ
Aposto-*

In præfat.
ad Sim.
Grynazii.

Gal. 1.

Act. 9.

2. Cor. 12.

AD LECTOREM.

Apostolorum coryphæus testimonium perhibet, de eo scribens, *secū-* ^{2. Pet. 9.}
dum datam sibi à Deo sapientiam; san-
nè tantam, vt, authore Ambrosio, ^{Serm. 66.}
sicut Petro clauis potentia, ita Paulo
clauis scientiae datae fuerint: cuius
porrò charitas in Deum tam inflā-
mata erat, vt ab ea nihil cum sepa-
rare potuerit, neque mors, neque vita, ^{Rom. 8.}
neque Angeli, neque Principatus, ne-
que Virtutes, neque instantia, neque
futura; in proximum verò tanta, vt
pro Iudæis quidē optauerit esse ana-
thema; pro Gentibus à se conuersis,
cupiens dissolui, & esse cum Christo, ^{Philip. 1.}
elegerit tamen manere in carne, tan-
quam illis adhuc necessarius: tādē
(vt de illo scribit Chrysostronus, ^{In proemio}
Pauli admirator maximus,) veluti ^{in hanc}
volatilis præ charitate effectus, nun- ^{epist.}
quam sedens, nūquam stans, totum or-

bem percurrit. Quum autem (vt fa-
Epist. 115. pienter scribit Seneca) talis sit ho-
minibus oratio qualis vita, vnius Pau-
li stylus ex sapientiae magnitudine
gravis ac sublimis, ex charitatis ar-
dore affectuosus & abruptus est. Sic
in eius epistolis secundum sapientiam
sibi datam, id est, propter doctrinam
eius caeteris excellentiorem & pro-
fundiolem, multa occurrunt diffi-
cilia intellectu, dum ex sapientiae vber-
tate, & diuini ingenij flumine, in-
star rapidissimi fluuij obuia quaeque
conuoluit, & alia alijs accumulatur,
longae interdum hyperbaris hiulcus,
aposiopeses, anantapodota, perio-
dos fractas non raro adferens. Sed in
vna hac ad Romanos epistola velu-
ti totum effundens spiritum suum,
Epist. ad Rom. dif-
ficultas. multis nominibus singulariter dif-
ficilis est. Quia multas mouet qua-
stiones,

AD LECTOREM.

stiones, easdemque difficiles; quia
 utitur phrasibus confusis & minus
 explicatis, cōcisè loquēdo, & præter
 vulgare morem; quia disputationes
 tractat veluti inusitatas, de quibus in
 Euangelio vel cæteris Apostolis pa-
 rum aut nihil inuenias: ut de voca-
 tione Gētiū, ac reiectione Iudæo-
 rum, de lege Moyſi, de lege nature,
 de lege peccati, de lege carnis, de le-
 ge membrorū, de lege Spiritus vi-
 tæ, de lege factorum, de lege iusti-
 tiæ, de lege fidei, de lege mentis, de
 lege mortis: tum de iustitia Dei re-
 uelata, de iustitia fidei & ex fide, de
 iustitia legis & ex lege, de iustitia
 operum: mox de circuncisione car-
 nis & spiritus, de Israel secundum car-
 nem & non secundum carnem, de
 homine exteriori & interiori: tan-
 dem de spiritu seruitutis & spiritu
 † s adoptio-

P R A E F A T I O

adoptionis, de Spiritu Dei inhabi-
tante, agente, mortificāte, viuifican-
te, interpellante, secundū quem
ambulare, in cuius nouitate seruire,
cuius testimonium habere oportet.
Hæc & in solo ferè Paulo leguntur,
& in hac potissimū epistola tra-
duntur, tractantur, inculcantur. His
accedit, quòd in eodem contextu
varias interdū personas induit, nunc
firmi, nūc infirmi; nūc carnalis, nūc
spiritualis; nunc Iudæi, nunc Græci;
furtimque & ex abrupto personam
mutat, & ab vna materia in aliam
transit. Sic innumera & præcla-
rissima tam veterum quàm recen-
tiorum ingenia hæc vna episto-
la exercuit. D. sanè Augustinus, na-
turæ & gratiæ veluti miraculum,
ab hac tamen epistola explicanda
operis magnitudine deterritum se abs-
tinuisse

Retract.
lib. 1. c. 25

AD LECTOREM.

tinuisse profitetur, nec nisi expositionem inchoatam reliquit. D. Hieronymus ad hanc epistolam intelligendam *singulari Spiritus S. auxilio opus esse* scribit. Theodoretus, in præfatione in hanc epistolam, faretur se post omnium Patrum, qui eum præcesserunt, diligentem lectionem, suam interpretationem aggressum fuisse. Possem hinc præter veteres & intermedios huius epistolæ doctissimos interpretes (inter quos meo qualicumque iudicio reliquos superat & excellit Anselmus, siue Heruæus, cui alij hunc commentarium tribuunt) recentiores, nostræque ætatis interpretes bono numero recensere, etiam præter eos quos in sua Bibliotheca Sixtus Senensis commemorat. Ita huius epistolæ & ingens difficultas, & multo maior
 utili-

Epist. ad
 Hebr. 10.
 q. 10.

P R A E F A T I O

utilitas, & singularis excellentia ac dignitas facile elucescit.

Cæterùm quum ad has omnes difficultates, hæreticorum hodie superba, callida, & inquieta ingenia accesserint, qui magno etiam numero, ingenti studio, singulari artificio ad sua stabilienda placita, hac diuina epistola nequiter abusi fuerint, eorum me conatibus, imposturis, ac fraudibus, quanto potui conatu ac studio opponere volui. Qua in re

Operis hu-
ius labor
duplex.

duplex mihi labor subeundus fuit. Primus, vt diuini Apostoli germanam ac genuinam disputationem, sensum verum, purum, & orthodoxum, iuxta veterum & orthodoxorum Patrum iudicium, iuxta analogiam & regulam fidei Christianæ Catholicæ, denique iuxta ipsius literæ Apostolicæ planum & perspicuum

AD LECTOREM.

cuum contextum, retinerem, tradere-
rem, explicarem : qui quidem labor
omnibus hactenus interpretibus
communis fuit. Alter, & huic insti-
tuto proprius, vt fraudulentis & im-
purissimis hæreticorum corruptelis
occurrerẽ : quę tãtò & numero plu-
res, & arte atq; industria maiores, &
ad lectoris perniciem potentiores
esse necessariò debuerunt, quantò in
hac vna epistola argumenta fidei
tractantur & varietate plura, & in-
tellectu difficiliora, & ad moder-
nas controuersias discutiendas ma-
gis accommodata. Porro vt in alijs
Scripturis omnibus, ita & in Pauli-
nis maximè epistolis egregiè depra-
uandis quum palmam ferat Calui-
nus, cuius propterea integrũ penè
commentarium in suam Catholi-
cam (quam vocat) Scripturæ expo-
sitio-

P R A E F A T I O

sitionem, ex omnibus videlicet no-
uis hodie & hæreticis interpretibus
collectam Augustinus Marloratus
inseruit) & huic insigni seductori
cæteri penè applaudunt omnes, eius
inprimis corruptelas, & vniuersum
commentarium sanè elaboratissi-
mum (ad loca pertractata quod at-
tinet) r. anda suscepimus. Huic
impost^{ri} Theodori Beze in Pau-
lum Adnotationes copulauimus,
qui varijs in locis Caluini negligenti-
am suppleuit; & vbi ille parcus ac
breuis, hic copiosus & accuratus es-
se voluit. Vterque ad Pauli disputa-
tiones callidè inuertèdas, ad textum
Apostolicum nefariè deprauādum,
ad pestifera sua dogmata quauis oc-
casione stabilienda, ad orthodoxam
in singulis doctrinam validè cōuel-
lendam, ingentem operá posuerunt.
Quare

AD LECTOREM.

Quare nostra in hanc vnam epistolam Antidota nō solum in primarijs fidei Christianæ capitibus, adeoque fundamentis ipsis, orthodoxam veritatem tuebuntur, falsitatem hæreticam iugulabūt; sed etiam vtriusque impostoris varias nocēdi ac fallendi artes, variam *nequitiam* & *astutiam* (hæreticorum proprias notas ab Apostolo designatas) ad oculum commonstrabunt; vt horum (qui columnæ esse videntur) exemplum documento sit, quid ab alijs gregarijs hæreticis, omnibus Calvinisticæ sectæ ministris ac magistris, (qui hos duos veluti Petrum & Paulum suspiciunt & admirantur,) vel sanæ doctrinæ, vel pudoris ac probitatis expectandum sit. Ab istis quippe non solum malè de fide sentire, sed & mentiri ac fallere cæteri didice-

Ephes. 4.
14.

P R A E F A T I O

didicerunt. Jam vt hæc in Paulum Antidota vberiorē lectori fructum adferant, & veluti iusti commentarij vicem habeant, tum totius Epistolæ, tum singulorum capitum argumēta ponimus; tū varia loca vbi etiam seductores isti tacuerunt, quæ causam Catholicā adiuuāt, cumulamus. Id quod in reliquis etiam Apostolicis epistolis (fauente Christo) deinceps fiet.

Sed quid? An ad earum tractationem cōtinuato cursu progrediemur? an potius, Antidotis istis tantisper relictis, ad VWhitakerum nostrum redeundum erit, qui aduersus defensionem nostram pro auctoritate Ecclesiastica susceptam, anno 1592. editam, superiori anno duplicauit? Est quidem illud argumētum perutile, & magnum mihi disputationis

VWhitakeri Duplicatio.

AD LECTOREM.

tionis ostium apertum, aduersarius quoq; verbosus, audax, & strenuus, qui pro suo honore fortiter, pro causæ, quam tuetur, firmitate ieiunè ac tenuiter dimicat: quiq; adhuc in eodem luto hærens, summâ impietate pari pertinacia propugnat. Sūmam impietate dico, (ideoque à me non studiosè tantum refutatam, sed & acriter obiurgatam) quia omnibus hæresibus fenestram aperit latissimam, quæ claudi nequeat, & totius ædificadæ fidei ipsum primarium fundamentum euertit. An ergo Opus hoc nostrum veluti in medio cursu abruptam, noui Instrumenti quasi media iam ac difficiliore parte hæctenus superata, vt illi duplicati defensionem alteram opponam? Sunt quidem aliqua quæ id vt faciam me dudum mouerunt: sed

††

quia

P R A E F A T I O

quia longos mihi dies in hac ætate
 & languenti stomacho promittere
 non audeo, id quod Ecclesiæ Dei
 (cui meus labor militat) lōgè oportu-
 nitus fore confido, prosequendum
 iudico. Sic enim, *dum tempus habemus,*
 Gal. 6. 10. *operari bonum ad omnes oportet,*
 ut ad quàm maximam Dei gloriam,
 aliorumque ædificationem (quibus
 operandi talenta Deus dedit) ope-
 remur. Vix autem quenquam dubi-
 rare existimo, ad fidei orthodoxæ
 illustrationem ac robur multo ac-
 commodatius esse, multo opportu-
 nitus fore, ut diuinarum Scripturarum
 sensus orthodoxus (in quibus depra-
 uandis omnium heresum firmamen-
 ta consistunt) ab indignissimis hæ-
 reticorum corruptelis validè vindi-
 cetur (qui labor non vni aut alteri,
 sed singulis hæresibus nervos præ-
 scindit)

AD LECTOREM.

scindit) quam vt vnum argumen-
 tum, quantumlibet vtile ac necessa-
 riū, excutiatur. Sed & illud (opinor)
 negabit nemo, ex re & honore Ca-
 tholicæ Ecclesiæ multo luculentius
 fore, vt Caluini (qui iam amplissime
 sectæ nomen dedit) in totū nouum
 Instrumētum imposturæ detegan-
 tur, deprauationes corrigantur, mul-
 tiplex impietas refutetur, quàm vt
 in vno argumento quicumque tan-
 dem Calvinista exagitetur. Tanti
 sanè vnum Caluinū noster VVhi-
 takerus facit, vt in sua aduersum me
 duplicatione scribat, *in Caluini digi. pag. 12*
tulo vno plus esse solidæ doctrinæ, sa-
pientiæ, ingenij, quàm in toto capite
& corpore Stapletoni. An tam vastū
 inter nos discrimen sit, hæc Antido-
 tā nostra, si non VVhitakero, at cui-
 uis æquo Lectori, manifestum fa-

†† 2 cient.

P R A E F A T I O

cient. Nec ego in hac scriptione,
 aut quavis alia mea pro fide Catho-
 lica suscepta, sapientiae, doctrinae, at-
 que ingenij famam captavi, aut de
 illis contentionem suscepi; sed ad-
 uersus pestilentes horum temporū
 hæreses pro meo modulo & verita-
 tis orthodoxæ studio depugnaui.
 Dei tamen beneficio in hoc opere
 id me consecutum spero, vt, quan-
 tauis doctrina, sapientia, ingenio,
 id est, calliditate & audacia, astutia
 & nequitia ad Scripturas sanctas de-
 prauandas valuerit Calvinus, ad eius
 deprauationes solidè refutandas nec
 doctrinam, nec sapientiam, (quæ
 verè hoc nomine dignæ sunt) nec
 ingenium mihi defuisse, omnes in-
 telligant. Post Bezam quoq; VVhi-
 takerus nostros Theologos longis-
 simo sic interuallo reliquit, vt de il-
 lis scri-

AD LECTOREM.

lis scribat: *Nostri Pygmaei Bezam la-* In Praef.
lib. cōtra.
Sanderū.
cessere nunquam desinunt; quos ille si
aspicere semel posset, insutos in culeū
illideret. Quam iste homo terribi-
 lem bestiam Bezam facit! Cæte-
 rum VWhitakero video accidisse
 quod de Philostorgio Eunomiano
 historia Ecclesiastica commemo-
 rat. Sic ille suum Eunomium ada-
 mauit, vt etiam vitia eius commen-
 daret. Niceph.
lib. 12. cap
29. Quum enim impedita lingue
 esset, hoc ipsum facundiam esse di-
 xit incōparabilem, & verba oris eius
 tanquam pretiosas margaritas sape-
 re. Albas quasdam in eius facie ma-
 culas lepram repræsentantes, & ver-
 rucas, vt singulare vultus ornamen-
 tum laudauit. Sic omnia Caluini &
 Bezæ VWhitakero placent, eorum
 placita acriter defendit, eorum in
 Scripturis seu vertēdis seu exponen-

†† 3 dis cor-

P R A E F A T I O

dis corruptelæ, optimæ illi & purif-
 fimæ interpretationes videtur. Vnius
 Caluini singulare & nouellum do-
 gma in Ecclesia Christi hæctenus
 inauditum, à Cinglianorum sen-
 tentia diuersum, à Lutheranis acer-
 rimè exagitatum, de vi, commu-
 nione, beneficio corporis Chri-
 sti, non ipso Christi corpore, in
 sacra Cœna (nisi sola fide) præsen-
 ti, ita suspicit, admiratur, colit,
 vt de ea sententia dicat: *Hæc sum-
 ma est sententiæ nostræ; quam ego non
 minus dubito verâ esse Scripturæ sen-
 tentiam, quàm Christû esse Christum.*
 Homini tam acriter Caluini verbis
 addicto, vt Caluini nouellum ac
 proprium dogma tot seculorum &
 gentiû Christianæ professioni adæ-
 quet, ideoque tam facilè Christum
 quàm hoc Caluini dogma negaturus
 sit, si

In respõs-
 ad ratio-
 nes Cam-
 piani pag.
 43.

AD LECTOREM.

fit, si ceteri omnes, qui Caluino ad-
 uersantur, stipites videntur, vt plus
 in vno Caluini digitulo quàm in
 aliorum toto capite & corpore do-
 ctrinæ, sapientiæ, ingenij resideat,
 minimè cuiuspiam mirum videri de-
 bet. Iam si tanti VWhitakero Cal-
 uinus ac Beza sunt, & nos infra Cal-
 uinum ac Bezam tam immenso in-
 teruallo subsidemus; amplissimus
 hic VWhitakero patebit campus,
 quo pro Caluini ac Bezæ necessaria
 existimatione decertet, & in me ite-
 rum ferocissimè incurrat. Atqui
 Caluinum maximè, interdù Bezam,
 & hætenus refutauit (Christi bene-
 ficio) & adhuc copiosius refutabo,
 eumque diuinarum Scripturarum
 pestilentissimū esse deprauatorem,
 atque impostorem nefarium, toti
 orbi commonstrabo. Vbi hoc la-

PRAEFATIO

bore defunctus fuero, quid & quatenus aduersus VWhitakeri duplicationem à me scribi aut non scribi conueniat, dispiciam. Nam vt ad Promptuariū Morale in festa Sanctorum (quod meum in Euangelia Dominicalia iam dudum editum Opus bonus VWhitakerus *postillans quasi pistillum* per cōtemptum vocat, non secus, vt apparet, Christianae pietatis ac puritatis quàm fidei orthodoxae hostis) hoc Opere confecto me conuertam, frequentissimis optimorum & magnorum virorum interpellationibus iam diu prouocor. Quibus an tunc morem gerere absque vltiori dilatione debeam, seriò mihi cogitandum erit. Interim nec VWhitakerus nec amici eius, quòd de verbosa illa duplicantis, iactantia, putidis paralogismis

passim

In epist.
dedicatio.
zia.

AD LECTOREM.

passim referta, propter meum silentium insolentius efferantur, causam habent; qui ex causis iustissimis eius examen differre cogor. Hoc certe præ manibus Opus, & illam alteram Promptuarij Moralis partem ut tandem perficiam, ingenti, fateor, fortasse & nimio, desiderio teneor. Quæ causa est, quòd quanta possum celeritate in his Antidotis pergo: quæ, sequuntur, leuiori brachio expediri posse confido.

Tandem, hic ipse labor noster, VWhitakeri tota duplicatio quàm sit partim perniciosa, partim inanis & impia, duplici ex capite docere potest. Quum enim ille, remota Ecclesiæ authoritate infallibili, quæ fidem simpliciter faciat atque persuadeat, eò quòd (ipsius opinione) falli Ecclesia in suo iudicio potest,

†† § & ad

P R A E F A T I O

& ad persuadendum inepta fit, in
 solis diuinis Scripturis, authori-
 tatem hanc simpliciter infallibilem
 ac persuadendi vim ponat, vt ipsa
 Scripturarum liquida veritas, non
 Ecclesiastici ministerij authoritas,
 fidem de quaque re generet (in qua
 iam controuersiae punctum contra
 Ecclesiae authoritatem constituit,
 Caluino suo fortiter innixus, qui
 omnem in Scripturis authoritatem
 Sacerdotibus, Prophetis, Apostolis, si-
 ue Apostolorum successoribus dela-
 tam, non ipsis, ac neque ipsorum mini-
 sterio, sed ipsi verbo esse concessam
 docet) perniciosum hoc totum esse,
 haec nostra docent Antidota. Videt
 hic quippe Lector, quam multa
 perfidiae monstra vnus Caluinus ex
 diuinis Scripturis perperam intelle-
 ctis hauserit, & quanta sit docentis
 atque

Institut.
 lib. 4. c. 8.
 num. 2.

AD LECTOREM.

atque interpretantis Ecclesiæ necessitas, quæ diuinarum Scripturarum verum sensum (sine quo Scripturæ non fidem sed perfidiam generant) iuxta fidei regulam, & sponsi sui mentem, quam ipsa optimè tenet, omnibus tradat, & veluti vnicè ac germanè verum omnibus persuadeat. Videt quoque, quis sit huius doctrinæ Calvinianæ (quam tanto molimine tuetur VWhitakerus) scopus ac finis: nempe vt sola Scriptura omnem fidè generet prout vnus Calvinus, aut alius quilibet versutus hæreticus, eam deprauabit. Idem est de ipsarum Scripturarum libris ac partibus iudicium. Totam Scripturam *αὐτοπιστον* esse vult VWhitakerus, id est, *sibi nobisque per se canonicam diuinamque à nobis agnoscendam esse, & agnosci, non propter Ecclesiæ*
Eccle.

P R A E F A T I O

Ecclesiarumque omnium testimonium, sed propter ipsum Scripturarum diuinissimum characterem, qui Scripturas à Deo prodijisse apertissime loquitur ijs, quicumque aut Spiritum S. acceperunt, aut mediocri intelligentia valent. In qua assertionem statum quaestionis de authoritate Scripturarum ponit. Hæc assertio si vera est, quomodo vnam & eandem Scripturae partem in Ioannis Euangelio (historiam de muliere adultera, Ioan. 8.) Calvinus agnoscit diuinam esse, & nihil habere Apostolico Spiritu indignum? Beza contra à potius narrationis fide se dubitare ait, causasque adfert cur illa pars improbabilis ei videatur? An tanti viri (opinionem VWhitakeri) aut Spiritu Sancto, aut mediocri intelligentia caruerunt? Idem infra videbimus circa epistolam

Pag. 14.

AD LECTOREM.

Iam D. Jacobi, quam Calvinus pro
diuina habet, Lutherus adeò non
habet, vt *præ cæteris Scripturæ parti-
bus stramineam vocauerit*. Ita hac ex
parte VWhitakeri sententiam perni-
ciosam esse, hic ipse Antidotorum
noster labor docet. Ab altera parte,
quum Scripturis Euāgelicis & Apo-
stolicis vel pro Ecclesiæ autoritate
à me magno numero congestis fal-
sa interpretatione à Caluino desum-
pta deprauandis, vel contra Ecclesiæ
authoritatem in sensu quoque Cal-
uini ab ipso prolatis, duplicationis
VWhitakerianæ robur maximum
consistat; profectò earundem Scri-
pturarum in hoc Opere explicatio
orthodoxa contra omnes Caluini
corruptelas roborata, quàm tota
VWhitakeri lucta & concertatio
inanis atque impia, verboque Dei
aduersa

P R A E F A T I O

aduersa sit, hæc nostra rursus Antidota docebunt. De ipso controuersia puncto inter VWhitakerum & me circa Ecclesiae auctoritatem videre Lector potest ad cap. 10. v. 17. huius ad Rom. epistolæ, & alia loca illic annotata, quæ cuius æquo lectori satisfacere possunt. Ita si cuiusquam in animo VWhitakeri uerbosa illa iactantia auctoritatis Ecclesiasticæ à me defensionis existimationem imminuit, & causam à me iniquam defensionem fuisse aliquo modo persuaserit, eum hæc Antidota nostra, ut illi duplicationi minus confidat, atque adeò ut ab illa tanquam scripto pernicioso & impio abstineat, non mouere tantum exemplo, sed ad persuadendum documento esse possunt. In Antidotis igitur Apostolicis, diuino aspirante Numine, progred-

AD LECTOREM.

progredimur, cū Caluino & Beza,
VWhitakeri & Puritanorum in An-
glia iudicio inuictæ virtutis viris, in-
trepidè decertaturi. Tu his interim,
Lector Christiane, laboribus nostris
pro diuinarum Scripturarum puri-
tate asserenda susceptis fruire: &
(vt te semper obtestari soleo) si quā
aut tuis studijs lucem, aut fidei con-
solationē attulero, pro omni mer-
cede tuis apud Deum precibus in-
terdum me iuua. Vale

Louanij, 26. Maij, 1595.



